

Atilicinus, si heres prohiberet eum frui, ex conducto³⁷; si jure locationis quid retineret, ex testamento fore obligatum aiunt: quia nihil interesset, peteretur, an retineret: totam enim locationem legatam videri:

17. JAVOLENUS, [lib. 2 Labeonis Posteriorum].

Reliqua quoque in iudicio locationis venire:

18. PAULUS, [lib. 9, ad Plautium].

Cassius: Etiamsi habitatio eo modo lega esset, gratuitam habitationem heres prestare deberet; et praeterea placuit, agere posse colonum³⁸ cum herede ex testamento, ut liberetur conductione; quod rectissime dicitur.

19. MODESTINUS, [lib. 9 Regularum].

Cum ita testetur: *Hereditas mea esto liberare illum, quod is negotia mea gessit: et si quid eum mihi dare facere oportet, ab eo non exigere*: damnatur heres, nec creditas ab eo quoque pecunias exiget; in simili autem legato vix est, ut de eo quoque legando paterfamilias senserit, quod servis ejus peculii nomine debetur.

20. IDEM, [lib. 10 Responsorum].

Aurelio Sempronio fratri meo. Neminem molestari volo nomine debiti, neque exigere aliquid ab eo³⁹, quamdiu viveret, neque de sorte aut usura nomine debiti: et absolvo [ei] et libero ex pignoris ejus domum et possessionem Caperlatam. Modestinus respondit, ipsum debitorem, si conveniatur, exceptione tutum esse: diversum in persona heredis ejus. — § 1. Gaius Scius cum adolevisset, accepit curatores Publium Mavium, et Lucium Sempronium: sed [enim] idem Gaius Scius intra legitimam aetatem constitutus, cum in fatum concideret, testamento suo de curatoribus suis ita cavuit, *Questionem curatoribus meis nemo faciat, rem enim ipse tractavi*. Quæro, an rationem curæ heredes adulti a curatoribus petere possint: cum defunctus (ut ex verbis testamenti apparet) confessus sit, se omnem rem suam administrasse? Modestinus respondit: si quid dolo⁴⁰ curatores fecerunt, aut si quæ res testatoris penes eos sunt, eo nomine conveniri eos posse.

21. TERENTIUS [CLEMENS, lib. 12, ad legem Juliam et Papiam].

Si id, quod mihi [deberes, vel tibi vel alii legavero, idque mihi] solveris⁴¹, vel qualibet alia ratione liberatus a me fueris: extinguitur legatum. — § 1. Unde Juliano placuit, etsi debitori heres extiterit creditor, posteaque ipse creditor decesserit: legatum extingui; et hoc verum est: quia confusione perinde extinguitur obligatio, ac solutio. — § 2. Sed si sub conditione dato legato heres præoccupaverit, et exegerit debitum: aliud dici oportet; quia in arbitrio heredis esse non debet, ut, quandoque conditione existente, neque ipsi legatario debeatur legatum, si tum vivat et capere possit, neque ei, ad quem hoc commodum pervenit, si legatarius capere non possit.

22. PAPIANUS, [lib. 19 Questionum].

Quod mihi Sempronius debet, peti nolo⁴²: non tantum exceptionem habere debitorem, sed et fideicommissum, ut liberetur, petere posse responsum est.

23. IDEM, [lib. 7 Responsorum].

Procurator, a quo rationem heres exigere prohibitus, eoque nomine procuratorem liberare damnatus est, pecuniam ab argentario debitam ex contractu, quem ut procurator fecit, jure mandati cogetur restituere, vel actiones præstare.

24. IDEM, [lib. 8 Responsorum].

Cum heres rogatur debitorem suum liberare: de eo tantum cogitatum videtur, quod in obligatione manserit; itaque, si quid ante tabulas apertas fuerit solum, ad causam fideicommissi non pertinet: quod autem post tabulas apertas ante aditam hereditatem, ab eo, qui voluntatem defuncti non ignoravit, fuerit exactum, dolo proximum erit: ideoque peti potest.

25. PAULUS, [lib. 10 Questionum].

Legavi Titio quod mihi debetur, vel adjecta certa quantitate, sive specie, vel non adjecta: aut ex contrario, æque cum distinctione: veluti, *Titio, quod ei debeo*: vel ita, *Titio centum, quæ ei debeo*. Quæro, an per omnia requirendum putes, an debitum sit: et plenius rogo, quæ ad hæc spectant, attingas, cottidiana enim sunt? Respondi, Si is, cui Titius debebat, debitum ei remittere voluit, nihil interest, heredem suum jussit, ut eum liberaret, an prohibeat eum exigere: utroque enim modo liberandum est debitor, et utroque casu competit ultro ad liberandum debi-

37. L. 24, in fin. supr. locati. — 38. d. L. 24, in fin. L. 30, in fin. supr. de usu et usufr. legat. — 39. L. 5, § 3, supr. h. t. — 40. L. 9, supr. eod. L. 5, § 7, supr. de admin. et pecic. — 41. L. 7, § 4, supr. h. t. — 42. L. 5, § 3, supr. eod. L. 57, § 4, supr. de legat. 3. L.

tori actio. Quod si etiam centum aureorum vel fundi debiti mentionem fecit: si quidem debitor fuisse probetur, liberandus est: quod si nihil⁴³ debeat, poterit dici quasi falsa demonstratione adjecta, etiam peti, quod comprehensum est, posse. Sed poterit hoc dici, si ita legavit, *Centum aureos, quos mihi debet*: vel, *Stichum, quem debet, heres meus damnas esto non petere*. Quod si sic dixit, *heres meus centum aureos, quos mihi [Titius] debet, damnas esto ei dare*: etiam illud tentari poterit, ut petere possit, quasi falsa demonstratione⁴⁴ adjecta; quod mihi nequam placet: cum dandi verbum ad debitum referre se testator existimaverit. Contra autem, si debitor creditori legat, nullam utilitatem video, si sine quantitate legat. Sed et si id demonstrat, quod debere se confitetur: nulla utilitas est, nisi in his speciebus in quibus emolumentum debiti ampliatur. Quod si centum aureos, quos se debere dixit, legavit: si quidem debet, inutile est legatum: quod si non fuit debitor, placuit utile esse legatum: certa enim numerorum quantitas similis est Stichio legato cum demonstratione falsa: idque, et D. Pius rescripsit, certa pecunia dotis acceptæ nomine legata.

26. SCEVOLA, [lib. 4 Responsorum].

Tutor decedens aliis heredibus scriptis, pupillo suo, cujus tutelam gessit, tertiam partem bonorum dari voluit, si heredibus suis tutela causa controversiam non fecerit, sed eo nomine liberaverit; pupillus legatum prætulit, et postea nihilominus petit quicquid ex distractione aliave causa ad tutorem suum ex tutela pervenerit: quæro, an verbis testamenti ab his exactionibus excludatur? Respondit, si, prius quam conditioni pareret, fideicommissum percepisset, et pergeret petere id, in quo contra conditionem faceret, doli mali exceptionem obstaturam: nisi paratus esset, quod ex causa fideicommissi percepisset, reddere: quod ei aetatis beneficio indulgendum est.

27. TRYPHONINUS, [lib. 8 Disputationum].

Videamus, si ei, cum quo de peculio actio erit, liberatio testamento legata sit: an si die, quo legata cedere solent, nihil in peculio sit, legatarii loco habetur? atque nondum debitor fuit: nec procedit ut emolumentum aliquid ex legato ad eum perveniat, nisi propter spem futuri peculii, nunquid ergo in pendenti sit, an legatarius fuerit, perinde atque si qua alia causa spem legati dubiam faceret?

28. SCEVOLA, lib. 16 Digestorum.

Aurelius Symphorus fidejusserat pro tutore quodam, et decedens eisdem pupillis legavit in hæc verba: *Aurelio Latio, et Aurelio Felicio, singulis quina, cum quis eorum quatuordecim annorum fuerit: ad quod tempus præstari eis volo, singulis alimentorum nomine mensurios denarios senos, et vestiarii nomine annuos denarios viginti quinque: quo legato contenti esse debetis, quando tutela vestra non minimo damno rationem meam adlexerit: a vobis autem heredes mei peto, ne quid ex ratione tutelæ ab his exigere, vel ab hoc legato eorum retinere velitis*. Quæsitum est, si heres ejus ex causa fidejussionis aliquid præstiterit: an ab herede filiorum ejus, pro quo fidejusserat, repetere possit? Respondit, verbis, quæ proponerentur, id solum videri heredum fideicommissum, ne exigent, quod ex ratione tutelæ, quam ipse Symphorus administraverat, ab Aureliis sibi deberetur. — § 1. Testamento facto, debitoribus liberationem reliquerat: post inciso lino, et recognito testamento, aliud testamentum fecit, in quo repetiit legatum his verbis: *quibusque legata in eo testamento, quod incideram, dedi, omnia rata esse, et quæque scripta sunt, volo*. Quæsitum est, adita ex sequente testamento hereditate, an debitoribus, quibus priori testamento liberatio relicta erat, consequi possint, ut etiam ejus quantitas nomine, quam post prius testamentum debere ceperant, liberarentur; et si ab his heredes petere ceperint, an doli mali exceptione summoventur? Respondit, non liberari. — § 2. Titius Seio debitori suo ita legavit, *Do lego Seio denarios decem. Item dono illi quidquid sortis et usurarum nomine mihi debebat*: præterea generaliter damnavit heredes, fideique eorum commisit, uti darent, restituerent unicuique quidquid ei legasset: postea Seius aliam præterea pecuniam a Titio mutuatus est. Quæro, an hæc quoque pecunia, quæ post testamentum factum data esset Seio, legata intelligatur? Respondit, cum in præteritum tempus verba collata proponerentur: non esse posterius credendum legatum. — § 3. Titius testamento facto, et filius hereditibus institutis, de patre tutore suo quondam factio ita locutus est: *Seium patrem meum liberatum esse volo ab actione tutela*. Quæro, hæc verba quatenus accipi debent, id est, an pecunias, quas vel ex venditionibus rerum factis, aut ex nominibus exactis in suos usus

§ 2, infr. de doli mali et met. except. § 15, Inst. de legat. — 43. L. 75, § 1, supr. de legat. 1. — 44. L. 55, in pr. infr. de sponsit. et demonstr.

convertit, vel nomine suo foveravit, filiis, et heredibus testatoris, nepotibus suis debeat reddere? Respondit, eum, cujus notio est, æstimatum: *presumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri videri concessa*: nisi aliud sensisse testatorem ab heredibus ejus approbatur. — § 4. Mævia testamento suo alterum ex heredibus suis actione tutelæ voluit liberari his verbis: *rationem tutelæ, quam egit Julianus Paulus cum Antistio Cicerone, postea ab eo nolo, eoque nomine causa omni liberatum esse volo*: quæro, an si qua pecunia ex tutela apud eum remansit, peti ab eo possit? Respondit, nihil proponi cur⁴⁵ pecunia, quæ pupillæ est, et apud tutorem posita maneret, legata videretur. — § 5. Testamento ita scripserat: *Titio ad finem meo quidquid mihi quacunque ex causa debebat, remitti volo, eoque amplius decem do*; codicillis ita scripsit: *Titio hoc amplius ad finem ei debitori meo usuram pecuniam, quam mihi debebat, ab herede meo donec advivet. Quod si exigere ultra voluntatem meam putaverit, ejus sortis usuram eidem Titio ab heredibus meis, donec vivit, præstari volo*. Quæsitum est, cum augendi potius, quam minuendi testator voluntatem habuerit: an heredes ex causa fideicommissi Titio teneantur, ut eum omni debito liberent? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, videri minutum legatum, quod primo dederat. — § 6. Legatum est testamento hoc modo: *Seio concedi volo, quidquid mihi ab eo debitum est, vel fidem meam pro eo obligavi*. Quæro, utrum id solum, quod testamenti facti tempore debebatur, legatum sit: an etiam, si quid ex ea summa usurarum⁴⁶ nomine postea accessit, legato cedat? Respondit, videri omnem obligationem ejus debiti per fideicommissum solvi voluisse. — § 7. Stichio testamento manumisso fundum instructum et alia legavit, et hæc verba adiecit: *quam rationem reddere veto, quia instrumenta penes se habet*. Quæsitum est, an Stichus reliqua, quæ ex administratione actus debebant, reddere deberet? Respondi, Stichum eo nomine non teneri. Claudius: Nemo enim ex servituti actu⁴⁷ post libertatem tenetur, et consultatio ad jus debiti relata fuerat: retineri ergo reliqua possunt cum peculio, aut ex eo deduci, si legatum est.

§ 8. *Centum quæ apud Apronianum deposita habeo, apud ipsum esse volo, donec filius meus ad annos viginti pervenerit: ejusque pecuniam usuram exigi veto*. Quæsitum est, an ex causa fideicommissi Apronianus consequi possit, ne ante⁴⁸ tempus a testatore præscriptum ea summa ab eo exigatur? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, consequi posse. — § 9. Filias heredes scripserat, quarum fidei commissit in hæc verba: *Ne a Gaio Seio rationes actus rei meæ, quæ per mensam ejus, [sive extra mensam], in diem mortis meæ gesta est, exigatis: eoque nomine eum liberatis*. Quæsitum est, cum universas rationes in diem mortis iste administraverit, et per mensam suam, et [quæ] extra administrabantur: an ad rationes reddendas heredibus teneatur? Respondit, liberationem quidem secundum ea quæ proponerentur, legatum esse: sed quatenus præstanda sit, ex qualitate disceptationis judicem æstimatum. — § 10. Eum, qui tutelam ipsius administraverat, [et] fratrem suum, et alios [quosdam] scripsit heredes: et tutor legavit, *quæ impenderat in se, et fratrem ipsius, decem*. Quæsitum est, an utile esset in persona ejus fideicommissum? Respondit, si id dederit per fideicommissum, quod debebatur: peti⁴⁹ non posse. — § 11. Idem quæsitum, si in tutoris persona inutile esset, an in persona fratris utile videretur, quoniam illi proficeret, cujus, et ipsius tutelam administrasset? Respondit, fratri utiliter esse legatum: cum suo debito liberetur. — § 12. Idem quæsitum: si tutor amplecteretur fideicommissum, ita ut quibusdam stari vellet verbis testamenti, in quibusdam autem recedat, quod minore quantitate sumptum dicat fideicommissio contineri, quam ipse erogaverat, an audiri deberet? Respondit, non impediri eum scriptura testamenti, quominus omne, quod sibi deberi probasset, petere possit. — § 13. Quidam ita legavit: *Sempronie uxori meæ reddi jubec ab heredibus meis quinquaginta ea quæ mutua acceperant chirographo particulatim in negotia mea*. Quæsitum est, an, si vere uxoris debitor fuerit, fideicommissum constituit? Respondit, si debita fuisset, nullam esse fideicommissum. — § 14. Idem quæsitum, an si hanc pecuniam ut debitam apud judicem petierit, et victa fuerit: an fideicommissum peti possit? Respondit, secundum ea quæ proponuntur, posse ex causa fideicommissi peti, quod apparuisset non fuisse ex alia causa debitum.

29. PAULUS, [lib. 6, ad legem Juliam et Papiam].

Si is, qui duos reos promittendi habet, damnaverit heredem, ut utroque liberet: si alter ex his capere non possit, nec socii sint, delegari de-

45. Obst. L. ult. § 2, infr. h. t. — 46. L. ult. § 4, infr. eod. — 47. L. 1, L. 2, L. 4, C. an serv. pro suo facto post manum: locatur; L. 4, C. de testat. manum. — 48. L. 5, § 2, supr. h. t. — 49. Arg. L. 29, supr. de legat. 1. — 50. L. 15, § 7, infr. de acceptil.; L. 4, infr. de decurro; L. 55, supr. de acquir. vel. omitt. hered. — 51. Immo vide L. 5, § 1, supr. de donat. inter vir.

debit is, qui nihil capit, ei, cui hoc commodum lege competit: cujus petitione utrumque accidit, ut et hoc commodum ad eum perveniat, et is, qui capit, liberetur: quod si socii sint, propter⁵⁰ eum, qui capax est, et ille capit⁵¹ per consequentias, liberato illo per acceptilationem: id enim eveniret, etiamsi solum capacem liberare jussus esset.

30. IDEM, [lib. 10 Questionum].

Petitor vel possessor damnavit heredem suum, *ne centum virale iudicium exerceat*: de effectu legati quæritur? Et dictum, ita demum utile videri legatum esse, si malam causam adversarius testatoris habuit, ut litigante herede vinci deberet; tunc enim non tantum litis emolumentum, sed etiam sumptus heres legatario præstare cogitur: nam in loca causa nihil videtur esse in legato, nec propter sumptus; quod quidam existimaverunt.

31. SCEVOLA, [lib. 5 Responsorum].

Creditor debitori legavit ita: *Gaio Seio quidquid mihi sub pignore hortorum suorum debuit, ab heredibus meis dari volo*. Quæro, cum testator vivus a Seio aliquid recepit, an id ex causa legati peti possit? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, non posse. Idem repetiit: et ait, [item] testatorem ante factos codicillos, quibus legavit, pene omnem pecuniam sortis ab usurarum recepisse, ita ut modicum sortis et usurarum debeatur: et quæsitum, an ei petitio competeret, propter verba ad præteritum relata, *quidquid mihi debuit*? Respondit: Prius quidem secundum ea quæ proponerentur, recte responsum est: verum posterius, propter ea quæ in tempore adderentur, ita ab iudice æstimandum, ut inspiceret, oblivione pecuniæ solutæ, aut quod eo inscio numerata esset, id fecisset, an consilio, quod quantitatem quandam debitam, non jus liberationis dare voluisset. — § 1. Inter cetera liberti ita legavit, *Et si quid me vivo gessi, rationes ab eo exigi veto*. Quæritur, an chartas, in quibus rationes conscriptæ sunt, item reliquas⁵², secundum accepta et expensa, heredibus reddere debeat? Respondit, ea, de quibus quærentur, posse heredem vindicare, id autem, quod conservis, qui remanent in hereditate, crediderit, et in rem domini versum esset, desisse in reliquis esse. — § 2. Titia, quæ duos tutores habuerat, ita cavuit: *Rationem tutelæ meæ, quam egit Publius Mævius cum Lucio Titio, reposita ab eo nolo*: quæritur, an si qua pecunia apud eum ex tutela remansit, peti ab eo possit? Respondit, nihil proponi, cur non⁵³ pecunia, quæ pupillæ esset, et apud tutorem remaneret, legata videretur. — § 3. Item quæritur, an contutor liberatus videretur? Respondit, contutorem non⁵⁴ liberari. — § 4. *Gaio Seio optime merito hoc amplius lego, concedique volo, neque ab eo peti, neque ab heredibus ejus, quidquid mihi aut chirographis aut rationibus debitor est, vel quidquid a me mutuum accepit, vel fidem meam pro eo obligavi*. Quæro, utrum id solum, quod eo tempore, quo testamentum fiebat, debebatur, legatum sit: an et si quid ex ea summa usurarum⁵⁵ nomine postea accessit, legato cedat? Respondit, secundum ea quæ proponerentur, videri omnem obligationem Seio ejus debiti per fideicommissum solvi voluisse. — § 5. Item quæritur, si postea novatione facta et ampliata summa, ceperit debere: an id, quod ex vetere contractu debebatur, nihilominus in causa legati daret, et an vero novatione facta, quasi novus debitor ampliata summa possit conveniri? Respondit, id duntaxat legatum videri, quod tunc debuisset: si tamen mansit in ea voluntate testator, quæ tunc fuisset.

TIT. IV.

DE ADIMENDIS¹, VEL TRANSFERENDIS LEGATIS VEL FIDEICOMMISSIS.

1. PAULUS, [lib. 5, ad Sabinum].

Qui actu legato iter adimat, nihil admittit²: quia nunquam actus sine itinere esse potest³.

2. POMPONIUS, lib. 5, ad Sabinum.

Fundo legato adimi ita potest, *Fundum illi præter usumfructum neque do, neque lego*: ut usufructus in legato relinquatur. — § 1. Sed et fructus adimi potest, ut proprietatis relinquatur. — § 2. Item pars⁴ fundi legati adimi potest.

3. ULPIANUS, lib. 24, ad Sabinum.

Si quis ita legaverit: *Titio fundum do, lego*: si Titius decesserit,

et usur. — 52. L. 9, supr. h. t. — 53. Obst. L. 25, § 4, supr. eod. — 54. L. 3, § 3, supr. eod. — 55. L. 28, § 6, supr. eod. — 56. L. 2, § 1, supr. h. t. — 57. L. 1, § 1, supr. h. t. — 58. L. 14, § 2, supr. de usu et habit. — 59. Obst. L. 4, § 1, supr. de servit. vindic. — 4. L. 5, § 2, pen.; L. ult. in pr. infr. h. t.

Seio heres meus dare damnas esto, recte translatum legatum videtur: sed etsi jam mortuo eo, cui legatum erat, easdem res transtulerit, Sempronio debetur. — § 1. Si quis Titio legaverit sic: *Titio dato; aut si Titius ante decesserit, quam accipiat, Sempronio dato*: secundum meam subtilitatem utriusque obligatum videri heredem, id est, [et] Sempronio et heredi Titii; sed si quidem mora Titio ab herede facta est, ad heredes eius legati exactio transmittitur, Sempronio repellendo: sin autem nulla mora intercesserit, tunc Sempronius legatum accipit, et non Titii heredes: sed si ante⁶ diem legati cedentem decesserit Titius, soli Sempronio debetur legatum. — § 2. Idem dicendum est, et fideicommissa hereditate puero data, aut, si ante restitutam decessisset, matri eius relicta: ut si puer ante diem legati cedentem decessisset, matri debeatur; si postea, ad pupilli heredes fideicommissum transmittatur, utpote re ipsa mora subsecuta. — § 3. Sed et cum quis ita legasset: *heres meus Titio dato: si non dederit, Sempronio dato*: ita demum Sempronio debetur, si dies eius in persona Titii non cecidisset. — § 4. Si quis ita legaverit: *heres meus Titio fundum dato, et si Titius eum fundum alienaverit, heres meus eundem fundum Seio dato*: oneratus est heres; non enim a Titio fideicommissum relicto est, si alienasset fundum, sed ab herede ei legatum est: heres igitur debet, doli exceptione opposita, prospicere sibi cautione⁸ a Titio de fundo non alienando. — § 5. Si quis plus quam dedit, ademerit, ademptio valet: veluti si quis viginti legaverit, et quadraginta ademerit. — § 6. Si loci usumfructum leget testator, et iter adimat: non valet ademptio, ne vitietur legatum. Sicuti qui proprietatem fundi legat, iter adimendo, legatum non minuit. — § 7. Si duobus Titius separatim legaverit et uni ademerit, nec⁹ appareat cui ademptum sit: utriusque legatum debetur: quemadmodum et in dando, si non appareat cui datum sit, dicemus neutri legatum. — § 8. Si Titio fundus pure, eidemque sub conditione legatus sit; deinde postea ademptum sit sic, *Titio fundum, quem sub conditione legavi, heres meus non dato*: ex nulla datione debetur; nisi specialiter dixerit, pure eum legatum velle accipere. — § 9. Conditio¹⁰ legati an adimi possit, vel hereditatis, vel statuliberi, videndum: et Julianus scribit, in statulibero deductam conditionem non representare libertatem. Papinianus quoque lib. 17 Questionum scribit generaliter, conditionem adimi non posse: nec enim datur (inquit) conditio, sed adscribitur: quod autem adscribitur, non potest adimi, sed quod datur: sed melius est, sensum magis, quam verba amplecti; et conditiones sicuti adscribi, ita et adimi posse. — § 10. Cum Titio centum testamento legasset, et eidem codicillis ita legasset, *Titio quinquaginta duntaxat, nec amplius heres meus dato*: non amplius quinquaginta legatarium petiturum. — § 11. Non solum autem legata, sed et fideicommissa adimi possunt: et quidem nuda¹⁴ voluntate. Unde queritur, an etiam inimicitias interpositis fideicommissum non debeatur? Et si quidem capitales¹² vel gravissimae inimicitiae intercesserint, ademptum videri, quod relicto est: sin autem levis offensae, manet fideicommissum. Secundum haec et in legato tractamus, doli¹⁵ exceptione opposita.

4. Idem, lib. 53, ad Sabinum.

Quod si iterum in amicitiam redierunt, et penituit testatorem prioris offense: legatum vel fideicommissum relicto reintegratur: *ambulatoria*¹⁴ enim est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum.

5. GAIUS, lib. 2, ad Edictum urbicum.

Sicut adimi legatum potest, ita et ad alium transferri¹⁵: veluti hoc modo, *quod Titio legavi, id Seio do lego*: quae res in personam Titii tacitam ademptionem continet.

6. PAULUS, [lib. 5, ad legem Juliam et Papiam].

Translatio legati sit quatuor modis: aut enim a persona in personam transferitur: aut ab eo, qui dante iussus est, transferitur, ut alius det: aut cum res pro re datur, ut pro fundo decem aurei: aut quod pure datum est, transferitur sub conditione. — § 1. Sed si id, quod a Titio dedit, a Maevio dem, quamvis soleant esse duo ejusdem rei debitores, tamen verius est hoc casu ademptum esse legatum: nam cum dico, *quod Titium dare damnavi, Seius damnas esto dare*, videor dicere, ne Titius det. — § 2. Item si pro fundo decem legentur, quidam putant non esse ademptum prius legatum: sed verius est, ademptum esse; *novissima*¹⁶ enim voluntas servatur.

5. L. 25, in pr. infr. ad SC. Trebell. — 6. L. 10, in fin. infr. h. t. — 7. L. 3, C. in quib. caus. in integr. — 8. L. 69, § 3, supr. de legat. 2. — 9. L. 10, in pr. infr. de reb. dub. — 10. L. 23, infr. de condit. et demonstr. — 11. L. 18, supr. de legat. 3: L. 27, C. de fideicom. — 12. L. 9, in pr. infr. de his que ut indign. — 13. L. 15, L. 22, infr. h. t. — 14. L. 52, § 3, supr. de donat. inter vir. et ux. — 15. § 1, Inst. h. t. — 16. L. 87, infr. de condit. et demonstr. — 17. L. 6, in pr. infr. quando dies legator. — 18. L. 44, in fin. supr. de legat. 2. — 19. d. L.

7. ULPIANUS, [lib. 44, ad Sabinum].

Quod si alii legetur sub conditione, quod alii pure datum est: non plene recessum videtur a primo¹⁷: sed ita demum, si conditio sequentis interiter; ceterum si hoc animo fuerit testator, ut omnimodo recessum a primo putaverit, dicendum erit, a primo ademptum legatum.

8. JULIANUS, [lib. 32 Digestorum].

Et ideo si vivo testatore mortuus fuerit is, in quem translatum legatum fuerit: nihilo magis ad eum, a quo translatum fuerit, pertinebit.

9. ULPIANUS, [lib. 5 Disputationum].

Cum centum, quae quis pure reliquit, conditione adjecta iterum eidem legavit: si quidem quasi aliam hanc summam esse voluit, et quod pure relictiis gravissimis¹⁸ persecutus, cum testamentum aliud facere instituisset, neque perficere potuisset, praeteriit: hereditariae quidem actiones ei non denegabuntur, sed legatum si petat, exceptione doli mali submovebitur.

10. JULIANUS, [lib. 37 Digestorum].

Si legatum pure datum Titio, adimatur¹⁹ sub conditione, et pendente conditione Titius decesserit: quamvis conditio defecerit, ad heredem Titii legatum non pertinebit: nam legatum cum sub conditione adimitur: perinde est, ac si sub contraria conditione datum fuisset. — § 1. Quod ita legatum est, *Titio decem heres meus dato: si Titio non dederit, eadem decem Sempronio dato*: si moriatur Titius ante²⁰ diem legati, Sempronius legatum utiliter petet: translatum enim legatum intelligi debet.

11. Idem, lib. 54 Digestorum.

Qui hominem legat, et Stichum adimit, non perimit legatum, sed extenuat:

12. ULPIANUS, lib. 50, ad Sabinum.

Ut Stichum legatarium eligere non possit.

13. MARCIANUS, lib. 6 Institutionum.

Divi Severus et Antoninus rescripserunt, cum testator postrema²¹ scriptura, quaquam ratione motus, *pessimum liberum esse aljecisset*: ea quae priori scriptura ei relicta fuerant, adempta videri.

14. FLORENTINUS, lib. 41 Institutionum.

Legata inutiliter data, ademptione non confirmantur: veluti si domino herede instituto, [servo] pure legatum, sub conditione adimatur: nam pure²² legatum si sub conditione adimatur, sub contraria conditione datum intelligitur: et ideo confirmatur: ademptio autem quo minus, non quo magis legatum debeatur, intervenit. — § 1. Quibus ex causis datio legati inutilis est, ex iisdem causis etiam ademptio inefficax²³ habetur: veluti si viam²⁴ pro parte adimas, aut pro parte liberum esse vetes.

15. PAULUS, [lib. singul. de Adsignatione libertorum].

Cum servus legatus a testatore, et alienatus, rursus redemptus sit a testatore, non debetur legatario, opposita exceptione²⁵ doli mali: sane si probet legatarium novam voluntatem testatoris, non²⁶ submovebitur.

16. Idem, ex lib. singul. de iure Codicillorum.

Nihil interest inducatur, quod scriptum est, an adimatur.

17. CETSUS, lib. 22 Digestorum.

Nihil prohibet, priorem scripturam posteriore²⁷ corrigere, commutare, rescindere.

18. MODESTINUS, lib. 8 Differentiarum.

Rem legatam si testator vivus alii donaverit, omnimodo extinguitur legatum: nec distinguimus, utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera voluntate donaverit: ut, si necessitate donaverit, legatum debeatur; si nuda voluntate, non debetur: haec enim distinctio in donantis munificentiam non cadit, cum nemo²⁸ in necessitatibus liberalis existat.

19. Idem, lib. 2 Responsorum.

Modestinus respondit: Si adimendo legatum, quod Maevio relicto sit, fideicommissum ab eo datum defunctus revocare²⁹ noluit: heredes ex causa fideicommissi conveniri posse recte probari.

in pr. — 20. L. 3, § 1, supr. h. t. — 21. L. 6, in fin. supr. eod. — 22. L. 107, in fin. infr. de condit. et demonstr. — 23. *Vid. tamen* L. 20, infr. h. t. — 24. L. 11, in fin. supr. de servit. — 25. L. 5, in fin. supr. h. t. — 26. L. 19, in fin. infr. de reg. jur. — 27. L. 6, in fin. supr. h. t. — 28. L. 87, infr. de condit. et demonstr. — 29. L. 29, in pr. infr. de donat. — 29. L. 9, supr. de usu et usufr. legat.

20. POMPONIUS, lib. 4, ad Quintum Mucium.

Licet transferam legatum in eum³⁰, cum quo nobis testamenti factio non est, sive in servum proprium, cui sine³¹ libertate legavero: licet eis non debeatur, nec illi tamen debebitur, cui fuerit ademptum.

21. LICINIUS RUCIUS, lib. 4 Regularum.

Legatum nulli alii adimi potest, quam cui datum est: quapropter si filio aut servo alieno legatum fuerit, domino aut patri legatum adimi non potest.

22. PAPIANUS, lib. 6 Responsorum.

Ex parte heres institutus, etiam legatum acceperat: eum testator inimicitias gravissimis³² persecutus, cum testamentum aliud facere instituisset, neque perficere potuisset, praeteriit: hereditariae quidem actiones ei non denegabuntur, sed legatum si petat, exceptione doli mali submovebitur.

23. Idem, [lib. 7 Responsorum].

Pater inter filios facultatibus divisit filiam ex ratione primipili commodorum trecentos aureos accipere voluit; ac postea de pecunia commodorum possessionem paravit: nihilominus fratres et coheredes sorori fideicommissum praestabant. Non enim absumptum videtur, quod in corpus patrimonii versum est. Cum autem inter filios diviso patrimonio, res indivisas ad omnes coheredes pertinere voluisset, ita possessionem ex commodis comparatam dividi placuit, ut in eam superflui filii portionem hereditariam accipiat: hoc enim eveniret, in bonis pecunia relicta³³.

24. Idem, lib. 8 Responsorum.

Legatum sub conditione datum, cum transferitur, sub eadem conditione³⁴ transferri videtur, si non conditio priori personae cohaereat: nam si quis uxori *sublatis liberis* legaverit, repetita conditio non videbitur, quae fuit in persona mulieris necessaria. — § 1. Pater hortos instructos filiae legavit; postea quaedam ex mancipiis hortorum uxori donavit: sive donationes confirmavit, sive non confirmavit, posterior voluntas filiae legato potior erit. Sed etsi non valeat donatio, tamen minuisse filiae legatum pater intellegitur.

25. Idem, lib. 9 Responsorum.

Alteri ex heredibus praecipionem praedii dedit; mox alteri praestari adversus debitorem actiones ad eum finem mandavit, quo praedium fuerat comparatum: cum postea praedio distracto citra ullam offensam ejus, qui praecipionem acceperat, pretium in corpus patrimonii redisset, non esse praestandas actiones coheredi, respondi.

26. PAULUS, [lib. 9 Questionum].

Si servo cum libertate dato legato et alienato adimatur libertas: quamvis alieno inutiliter adimatur, tamen legatum ad emptorem non perventurum: et merito; constitit enim ademptio, quia possit³⁵ redimi: sicut datio, cum in eum conferitur, qui testamenti faciendi tempore fuit testatoris, deinde alienato codicillis libertas datur. — § 1. Quid ergo, si eum, quem liberum esse quis jusserat, manumiserat vivus, deinde codicillis libertatem ei ademerit? videamus, an perdidit legatum vana ademptio libertatis: quod quidam putant: sed *servapvacua scriptura non nocet legato*³⁶.

27. Idem, [lib. 24 Questionum].

Servus legatus est, et ei aliquid: si alienato eo adimatur quod ei legatum est, valet ademptio: quia et legatum potest procedere, si redimatur. — § 1. Servo legato, et inter vivos manumisso, si legatum adimatur: nullius momenti ademptio est. Igitur legatum, quod ipsi datum est, capiet: nam etsi rursus in servitutem reciderit, non tamen legatum ejus resuscitabitur³⁷: novus³⁸ enim videtur homo esse.

28. VALENS, [lib. 5 Fideicommissorum].

Si tibi certam rem legavero, et rogavero te, ut eam Titio restitueres; deinde eandem rem tibi fideicommissero, nec rogavero te, ut alii eam praestares: queritur, an in tua potestate sit, ex causa fideicommissi eligere, ut fideicommissum non praestes: et magis posteriorem³⁹ scripturam testamenti placuit spectari.

29. PAULUS, [lib. 5 Sententiarum].

Libertus, qui in priore parte testamenti legatum acceperat, et ingratus⁴⁰ postea eadem scriptura a testatore appellatus est: commutata voluntate, actionem ex testamento habere non potest.

30. SCAEVOLA, [lib. 20 Digestorum].

Alumnae suae plura legavert: quaedam ex his abstulit: quaedam ut

30. L. 54, in pr. supr. de legat. 2. — 31. L. 4, C. de legat. — 32. L. 5, in fin. supr. h. t. — 33. L. 25, in fin. supr. famul. exerce. — 34. L. 98, infr. de condit. et demonstr. — 35. L. 27, infr. h. t. — 36. L. 17, C. de testam. — 37. *In meo* L. 79, in fin. supr. de legat. 2. — 38.

praestarentur, ab herede suo petiit: in quibus viginti dari voluit his verbis, *Hoc amplius do, lego, darique volo viginti auri libras*: et adiecit, *fideique tuae, Atti, committo, ut inprimis Semproniam sororem tuam pro tua pietate et regere et ueri velis: et si putaveris eam ad bonam vitae consuetudinem reversam, ita viginti auri libras ei reddere, cum morieris: interim tamen reditus ejus, id est, usuras semisses ei praestes*: postea codicillis ad Maevium legatarium easdem viginti libras auri transtulit, et fidei ejus commisit in haec verba, *Viginti libras auri, quas testamento Semproniae alumnae meae reliqui, eas dari volo Maevio, cautionibus interpositis, ut ex ea summa eidem Semproniae, quando advixerit, praestet menstruos denarios quinque, et vestiarum nomine denarios centenos vicenos quinos, idque fidei vestrae committo: certa sum autem te, Maevi, pro tua pietate petitorum ab herede tuo, ut voluntas mea in persona alumnae meae duret*. Quaesitum est, an Maevius legatarium cogendus sit post mortem suam viginti libras auri Semproniae restituere, sicut rogatus fuerat Attius heres? Respondit, secundum ea quae proponerentur, viginti quidem auri libras non cogendum praestare: sed alia quae ab eo alumnae relicta sunt, deberi et a Maevio, et ab herede ejus, donec vivit alumna. — § 1. Titia testamento Seiam libertam, eandemque collactaneam ex parte duodecima heredem instituerat: Pamphilo liberto suo praedia per fideicommissum dedit: in quibus et *σύνταξιν*, id est, *lavfundium* praediorum, quae appellabatur circa Colonom: eidem liberto postea per epistolam alias etiam res donavit, in quibus de Seia, et Pamphilo ita est locuta Titia: *Τοῖς κληρονόμοις μου χάριτιν Βούλευμαι βέλαια εἶναι τὰ υποτεταγμένα, ὅσα ἐβλάσθη εἰς τὸ ὄνομα Παμφίλου πεποιμέναι ἐν Σεῖα ἢ συνταξίας μου κληρονόμοις μὴ γίνονται, ἐξ ὧν γέγραφα ἀντὶν μέρους, βούλομαι ἀντὶ δόθηναι [τῇ] σύνταξιν τῇ περι Κολόνων*. Id est, *Heredibus meis salutem. Volo firma esse, quae inferius ordinata sunt, quaecumque in nomen Pamphili jam ante constitui. Si Seia collactanea mea heres non fiet ex parte, ex qua eam scripsi, volo ei dari syntexin, quae est circa Colonom*. Quaesitum est, cum Seia liberta, ommissa parte hereditatis ei testamento adscripta, ex codicillis fideicommissum, id est, *σύνταξιν* circa Colonom eligat, an si Pamphilus ex causa fideicommissi eadem praedia vindicet, doli mali exceptione summoveri debeat? Respondit, translatum videri fideicommissum praediorum, id est, *σύνταξιν*, quae est circa Colonom [in Seiam libertam]. — § 2. Ab heredibus petierat, ut si in provincia decessisset, sexaginta Lucio darentur, ut is corpus ejus curaret in patriam reportari, et adiecerat haec verba, *Cui concedi volo, si quid ex ea pecunia supererit*: eadem die codicillis ad heredes suos ita scripserat, *Peto a vobis, ut sive in provincia, sive in via aliquid mihi humanitus⁴¹ acciderit, corpus meum curetis et in Campaniam, et in monumentum filiorum meorum reportare*. Quaesitum est, an id, quod superfuisset ex sexaginta, a Lucio Titio tacite ademerit? Respondit, ademptum videri. — § 3. Qui filias ex disparibus portionibus testamento heredes instituerat, pene omnium bonorum suorum eodem testamento divisionem fecit: deinde haec verba adiecit, *Τὰ δε λυσιὰ πάντα τῶν παραχρήτων μου, ἐμοῖος καὶ τὰ τῆς κληρονομίας βάρη, ἔσται μόνον τῶν δύο [μυ] θυγατρῶν, Πρίμης καὶ Σεκούνδης, ἢ τῆς ἐξ αὐτῶν περιούσις*: id est, *Reliqua autem omnia bona existantia mihi similiter et hereditaria onera erunt solum duarum filiarum mearum, scilicet, Primae et Secundae, vel quae ex his subsistet*: postea codicillis longe aliam divisionem fecit bonorum inter easdem, inter quas et testamento diviserat: quaedam tamen nulli nominatim dedit. Quaesitum est, an Prima et Secunda filiae, ex verbis testamenti consequi possint, ut solae habeant ea, quae nominatim nulli relicta sunt in divisione, quae novissima a patre facta est? Respondit, non a tota voluntate recessisse videri, sed his tantum rebus, quas reformasset. — § 4. Cum post apertas tabulas testamenti Priscillianus vixisset: de cuius legato, portioneque hereditatis, mater epistola ita caverat, *Quoniam cognovi Priscillianum filium meum in extremis esse, justissimum et piissimum duxi, portionem ejus hereditatis, quam ei testamento dederam, legare Mariano fratri meo, et Januario marito meo, aequis portionibus. Et si quid ei amplius legaveram, ut si quid ei humanitus⁴² contigerit, do lego, darique eis volo*: postea ex eadem infirmitate Priscillianus decessit. Quaesitum est, an legatum quoque ejus ad Janarium et Marianum ex causa fideicommissi pertineat? Respondit, posse videri, si decessisset ex ea infirmitate, omnimodo et legatum ad eos, de quibus quereretur, transtulisse.

31. Idem, [lib. 14 Digestorum].

Filio ex parte heredi instituto duos fundos cum mancipiis et instrumento omni legavit: idem uxori plura legata, et servos Stichum et Da-

g8, § ult. infr. de solutio. — 39. L. 6, in fin. supr. h. t. — 40. L. 15, supr. eod. — 41. § ult. infr. h. t. — 42. § 2, supr. lib. 1, in pr. supr. de testam. — 43. Inst. de donat.